
40040



LAUDETUR JESUS CHRISTUS AMEN.

CONFERENTIÆ THEOLOGICO-MORALES DE CASIBUS CONSCIENTIÆ.

In Congregatione Cleri Decanatûs Foranei, propositæ & resolutæ.

Q. 1. *Simplicius* accedens ad Confessionem sacramentalem, & ignorat Orationem Dominicam, Symbolum Apostolorum, & Decalogum, an sit in peccato, & sit absolvendus?

Q. 2. *Simplicius* cum negligat culpabiliter, addiscere scitu necessaria Mysteria Fidei, an exinde pariat scandalũ?

SUMMARIUM.

1. *Ignorantia quid, & quotuplex sit?*
2. *Ignorantia quando excuset & quando non, à culpa?*
3. *Ignorantes principaliora Mysteria Fidei, non sunt absolvendi.*
4. *Scandalum quid, & quotuplex sit?*
5. *Scandalum quando sit peccatum mortale, quando veniale?*
6. *Scandalum nunquam est licitum.*
7. *Scandalum passivum quando evitandum, vel permittendum?*
8. *Scandali Activi circumstantia, semper in Confessione Sacramentali aperienda.*
9. *Præbent aliis scandalum, qui cum possint addiscere saltim principaliora Mysteria Fidei, ob negligentiam nesciunt ea, quæ scire obligantur.*

1. IGnorantiam esse rerum scibilium inscitiam, vel carentiam scientiæ, quam quis natus est habere *Ex Poliant: verb: Ignorantia.* Hanc esse *vel* Juris, *vel* Facti, *vel* Pænæ. *Ignorantia Juris est*, quâ ignoratur jus, sive lex quid mandet, vel prohibet. *Ignorantia Facti est*, quâ ignoratur

ratur ipsum opus, aut circumstantia. *Ignorantia pœnæ est*, quando scit esse prohibitum, sed ignorat latam esse pœnam.

Item Ignorantiam aliam esse *invincibilem*, aliam *vincibilem*. Item vincibilem, vel esse *affectatam*, cum quis studiosè non vult addiscere, ut liberiùs peccet, vel esse *crassam*, cum quis ob maximam negligentiam nescit ea, quæ scire debet: vel esse *tenuem*, ob levem negligentiam, vel esse *Comitantem*, quia stat in affectu malo, non in opere.

2. Ignorantiam *invincibilem* excusare ab omni peccato, sive sit *Juris*, sive *Facti*, *Vincibilem* verò *crassam* & *affectatam* non excusare à mortali. Ignorantiam *tenuem* & *comitantem* excusare à mortali, non verò à veniali. *Cleric. Decis. Miscell. Tom. 2. Lib. 9. Decis. 2. n. 2. & 4.*

3. *His prænotatis.* Resolvendus est casus sequens. *Simplicius accedens ad Confessionem sacramentalem, & ignorat Orationem Dominicam, Symbolum Apostolorum*, & *Decalogum, an sit in peccato, & sit absolvendus?* ℞. ad 1mum affirmativè, ad 2dum negativè. Quia quilibet Christianus tenetur scire, saltem quò ad substantiam Articulos symboli Apostolici, Decalogi, Sacramenta, Baptismi, Eucharistiæ & Pænitentiæ, quodsi ob negligentiam ignoret, & ea saltem virtualiter non intendat, manere talem in peccato, & non esse absolvendum. *Ita commun: D D. quos citat & sequitur Barbosa de Officio Parochi cap. 15. n. 4. & 5. Signanter fel rec.* BENEDICTUS XIV. P. M. *de Doctrina Christiana annô 1742. Tom. 1. Bullar. fol. 67.* §. 11. Matrimonio jungendi non sunt, qui saltem quæ sunt necessaria ignorant *&* *infra* §. 12. Sacerdos excipiens Confessiones, fixum illud immotumq; animo semper habeat, invalidam esse absolutionem sacramentalem, quam quis ignoranti res necessarias, necessitate *medij* impertitur: nec posse homines Deo per hujusmodi sacramentum reconciliari, nisi priùs excussa hujus ignorantiæ caligine, ad

agni-

agnitionem Fidei educantur. Sedulò etiam animadvertet Confessarius, in aliud tempus reijciendam esse Absolutionem illius, qui necessaria *necessitate Præcepti*, suô vitiô nescit. Et eò quandoq; casu Pænitentem absolvi posse, quo se vincibilis hujus ignorantiæ reum agnoscat & accuset, & intimè dolens, tum à Deo veniam precetur, tum Confessario seriò promittat, operam se impensè daturum, quâ Divinæ Gratiæ præsidio, discat necessaria necessitate Præcepti. *hucusq; verba Pontificis*. Cõtraria etiã opinio legitur damnata ab INNOCENTIO XI. *in Propositione* 64. *sic loquente* Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantiâ Mysteriorum Fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem nesciat Mysteria SSS. Trinitatis, & Incarnationis Domini Nostri JESU Christi.

Ad 2dum Casum. *Simplicius cum negligat culpabiliter, addiscere scitu necessaria Mysteria Fidei, an exinde pariat scandalum?*

4. *Scandalum definitur.* Est dictum vel factum, vel omissum, minus rectum, præbens alteri occassionem ruinæ. *S. Thomas 2. 2. qu. 43. ar. 1.* Observa: Consistere scandalum in verbis, vel factis minùs rectis, à quibus alij sumunt occasionem peccandi, aut etiam in omissionibus, scilicet eorum, ad quæ aliquis est obligatus, *v.g.* Non recitando Officium, si sit in sacris. Non audiendo Missam & Concionem, exinde datur etiam aliis occasio omittendi. *In definitione scandali*, non dicitur *concupitum*, sicut *in definitione peccati*, quia ea, quæ retinentur ab homine interiùs in corde, non pariunt scandalum, quod consistit tantùmmodò in externis. *Scandalum* autem est duplex. Activum & Passivum. *Scandalum Activum*, consistit in illo, qui dicit aut facit rem minus rectam, præbentem alijs occasionem ruinæ spiritualis, vel dat impedimentum in Dei servitio.

Scandalum Passivum, consistit in eo qui peccat, vel desistit à bonis operibus motus à dictis, vel pravis actionibus alterius. Hæc scandala aliquando simul juncta, aliquando separata sunt, simul juncta: cum quis movet alium ad malum, & iste consentit & peccat, ecce scandalum *Activum* & *Passivum*, separata autem sunt scandala, *Activum* à *passivo*, si quis inducit socium ad furtum, vel inebriandum, & socius recusat furari, vel sobrietatem amat. Est itaq; scandalum Activum, sine passivo.

Si quis verò ex actione alterius bona, vel indifferenti, ob suam propriam malitiam, sumat occasionem peccandi, aut ob suam ignorantiam, quia tunc est scandalum passivum sine activo. Et in 1mo casu, dicitur scandalum *Pharisaicum*, nam Pharisæi ob suam malitiam, de Doctrina Domini scandalizabantur, quod Dominus contemnendum esse dicit *Mathæi* 15. *v.* 12. *ad* 14. In 2do casu, dicitur scandalum *Pusillorum*, quibus opus est, reddere rationem circa ea, ob quæ scandalizantur, ut cessent ab ignorantia. *Ita S. Thom.* 2. 2. *d. qu.* 43. *art.* 7. *Cleric. Decis.* 26. *de Pænit. n.* 11.

5. Porrò scandalum aliquando est peccatum mortale, aliquando veniale. *Scandalum activum* per se, id est cum intentione, impellendi proximum in peccatum grave, semper est mortale, etiamsi sit per accidens, id est, sine tali intentione, quando dictum vel factum, aut omissio, est opus peccaminosum mortale. Est autem peccatum veniale, si dictum opus sit leve, & non inducat proximum, nisi ad peccatum veniale. Nam si haberet vim, impellendi illum in peccatum mortale, etiamsi opus in scandalo activo esset leve, ipsum scandalum esset peccatum mortale. v.g. De Clerico tenente Domi mulieerem malæ famæ, ob quam detractiones fiunt. *S. Thom. d. qu.* 43. *art.* 4. *Cler. l. c.*

Scandalum Activum *cur* sit peccatum? quia est contra virtutem charitatis, quâ debemus salutem spiritualem proximi deligere, & contra Præceptum correctionis fraternæ, per quod si obligamur retrahere proximum à peccatis, multò magis prohibemur, ne illum in peccata inducamus. *Scandalum verò passivum*, si per ipsum scandalizatus, ruit in peccatum mortale, est culpa mortalis, venialis autem, si solùm venialiter peccet, non enim exemplum maiorum excusat eos, qui sunt illorum imitatores, à peccato, siquidem debent, non ad exempla mala attendere, sed ad Legem Divinam; ad quam observandam quilibet Christianus est obligatus, qui propterea non excusatur à culpa. *cap. Si Dominus & seq. 11. qu. 3.*

6. Hinc nullo casu licitum est aliquem inducere dictis vel factis, tacitè vel expressè ad agendum id, quod ab eo sine peccato fieri non potest. *S. Antoninus part. 2. tit. 1. cap. 9. §. 14.* quod idem est dicere, nunquam esse licitum dare scandalum Activum. Nam *væ homini illi, per quem scandalum venit Math. 18.* Ex qua veritate deducitur, non esse licitũ, à malefico petere, ut maleficium maleficio solvat: nec ab Usurario, ut cum usura mutuet, nec alterum invitare ad bibendum, usq; ad ebrietatem &c:

7. Pro vitando scandalo passivo, non sunt omittenda ea, quæ sine peccato mortali omitti non possunt: Ut baptizari, Horas Can: dicere, Pænitentiam excipere, Decimas Ecclesiæ debitas exigere, Immunitatem Ecclesiasticam defendere; & similia *cap. cum ex injuncto de novi oper. nunt:* Ita S. Thomas Canthuariensis & alii ob timorẽ scandali passivi jura suarum Ecclesiarum; tueri non formidarunt, & S. Stanislaus noster Cracoviensis Antistes; in corripienda luxuria Regis Bolesłai, mortem subire, per manus impiorum, non dubitârunt, siquidem utiliùs scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur *cap. 3. de Reg. Iur.*

Iur. cap. Nisi 10. vers. Pro gravi de Renunt: 2do. Non sunt committenda, quæ sine peccato mortali, committi non possunt. Ut si puella stupro consentiat, ne is se ipsum interimat *cap. cum homo 23. qu. 5. cap. 1. distin. 14.* Sic Eleazarus gloriosissimam mortem, magis, quàm odibilem vitam, complexus fuit, *2. Machab. 6.* ob eandem causam septem Fratres Machabæos una cum Matre, sub Antiocho Rege, legimus tormentis extinctos *2. Machab. 7.* quod & omnes Sancti Martyres invincibiliter passi sunt. *3tio* Pro evitando scandalo, quis committere potest, quod sine mortali peccato, committi potest, ut gestare habitũ Ordini suo parum congruentem, *cap. Deus 11. de vita & honest. Cleric.* & conformare se moribus eorum inter quos vivit *cap. Quisquis distinct. 41. 4to.* Pro vitando scandalo potest dimitti, quod sine peccato mortali dimitti potest, ut corrigere, vel punire omnes delinquentes, si in magno numero sunt. *Cap. Latores de Cleric: excom. cap. ult. de Temp. Ordin. Cap. 2. de Cognat: spir.* Et hoc quotidie practicatur in Ecclesia in Matrimoniis, cum occulto impedimento dirimente contractis, in quibus ob timorem scandali permittuntur Conjuges in eis permanere, & conceditur Dispensatio. Ut bene illa verba, *Ad evitanda scandala* quæ in Literis sacræ Pænitentiariæ inseruntur, declarant, videlicet: Ne præbeatur occasio peccandi per temeraria judicia, detractiones, odia, dissensiones, aut per imitationem mali exempli. Et hæc ad intelligentiam hujus materiæ, in Mundo frequentissimæ, de scandalo. Breviter adhuc innuendum

8. Qui peccando dedit scandalum, sive directum, sive indirectum, aut quod idem: sive per se, sive per accidens, ut supra declaratum est, de scandalo activo, tenetur omnem circumstantiam ejusdem scandali, manifestare in Confessione, ita: ut declaret materiam, in qua datum est scan-

dalum

dalum, Perſonas, tùm quò ad numerum, tùm quò ad ſtatum, quas ſcandalizaverit, ſive ex hoc ſcandalo Activo, ſecutum ſit ſcandalum paſſivum, id eſt: quot Perſonæ, paſſæ ſunt ruinam ſpiritualem, & lapſæ ſunt in peccatum ſive non?

His neceſſariò prænotatis. Reſolvitur

9, Caſus 2dus dicendo: *Simplicium illum culpab liter negligentem, addiſcere Myſteria Fidei, quæ ſaltem principaliora ſcire obligatur, præbere aliis ſcandalum.*

Quia ſuppoſita Diviſione ſcandali Activi, quod ſive directè ſive indirectè committitur, Simplicius ille omittens diſcere neceſſaria Myſteria Fidei, dat etiam aliis occaſionem omittendi diſcere Doctrinam Chriſtianam, & præbet ſcandalum: ſignanter quod experientia demonſtrat, tempore Doctrinæ Chriſtianæ in Templis, ubi alii pro audiendo verbo Dei, & Doctrina Chriſtiana addiſcenda congregantur, alios otioſos, ſtare in Foro, in cauponis, divagare per vicos, & cũ moniti fuerint contemnunt, alioſq; dictis & factis (*o tempora! o mores!*) retrahunt. Quod corruptæ vitæ eſſe indicium, & parere ſcandalum. De tali dicit Propheta *Pſal.* 35. *Noluit intelligere ut bene ageret.*

Defendentur in Congregatione Cleri, Decanatus Andreovienſis, Diœceſis Cracovienſis, die 8va *Menſis* July. *Annô* 1762. *in Eccleſia Parochiali* Andreoviensi. *ſub Præſidentia Decani loci, Objectis ſatisfaciente A. R. PAULO CZAPUTOWICZ Præb. & Vic. Andr.*

MEMORIALE

Quoniam vos eſtis Presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet Anima illorum, ad eloquium veſtrũ, corda eorũ erigite *Iudith.* 8, Doctrinã magis quã aurũ eligite *Prov.* 9.

Zelus & Pietas Parochorum, ut ad diſcendã Chriſtianã Doctrinam, populi concurrant, notabit ſequentia. *1mò.* Non

ceſ-

cessent loqui, de necessitate addiscendi Christianã Doctrinã 2do. Moneantur populi, abstinere diebus Festis à negotiis temporalibus, ut vacare possint studio, Christianæ Doctrinæ. 3tiò. Solicitent corda Parentum, de præcisa eorum obligatione instruendi Filios, & edocendi Doctrinã Christianã, seu satagendi, ut ad eã addiscendã vadant, & de hoc strictissimã rationẽ Judici æterno, in puncto mortis, esse reddituros. 4tò. Hortentur ipsi Parentes, ut personaliter ad Ecclesiã horâ Doctrinæ Christianæ exponendæ accedant, ut sic eò certiùs & Filii, & famuli, ad eã conveniant 5tò. Confessarij in sacramẽtalibus Confessionibus, interrôgent homines de hujusmodi obligatione, nec absolvant contumaces, aut notoriè negligentes. 6tò. Obsecrent, ut etiam in propriis domibus, curent Patres familias docere suos Doctrinã Christianã. 7mò. Ostendatur iisdem Patribus familias, excellentia Animarũ, ut sciant, earundẽ saltẽ tantam curã agere, quantã de bobus habent, quos in necessariis esurire non patiuntur. 8vò. Frequenter legantur & declarentur Indulgentiæ concessæ docentibus, & discentibus Christianã Doctrinã, ut populi ad ejus studium accendantur 9nò. Sciant Curati Animarũ, hoc esse unũ ex præcipuis muneribus, de quo à Domino in die Judicij interrogabuntur: ideo nunquã cessent monere, arguere, & hortari populum ad hoc studium, & tali fervore discreto prædicent, de necessitate Doctrinæ Christianæ, ut populi capiant, hoc maximè referre. Neq; se excusent Parochi super populi pigritia, nã experientia demonstrat, sub solicitis Parochis, populos aliàs pigros, diligentes effectos in hoc sancto opere Doctrinæ Christianæ.

Attende tibi & doctrinæ, insta in illis: hoc enim faciens & te ipsum salvum facies, & eos qui te audiunt. 1. Tim. 1. c. 4.

CUM LICENTIA ORDINARIA.

CRACOVIÆ Typ: Semi: Episc: Academico-Diæcesani A. D. 1762.

